



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ieremiæ Prophetæ Threni Carmine redditi

Latomus, Jacobus

Antverpiae, 1587

Canticvm Annæ Matris Samvel. Exultauit cor meum in Domino. 1. Reg. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69084](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69084)

Non tua defuncti curant oracla, tui nec
 Verbi expectabunt pollicitique fidem.
 Sed viuens, supera qui cęli vęscitur aura,
 Ille tuas laudes, miraque facta canet.
 Sicut ego authorem vitę nunc laudo receptę,
 Quod non facturis funere meruis eram:
 Sic natis memorant, superest dum vita, parentes,
 Quam tribuas dictis pondera certa tuis.
 Quare age continua cęptam firmare salutem,
 Da redeat membris, qui fuit ante, vigor.
 Sic Deus alme tua psallam tibi letus in æde,
 Toque canam vitę tempus in omne meę.

CANTICVM ANNÆ MATRIS SAMVEL.

Exultauit cor meum in Domino.

I. Reg. 2.

IN Domino festos concepi pectore motus,
 Is mihi nunc animos tollere posse dedit.
 Pandere iam lætis sermonibus ora iuuabit,
 Nec metuam sannas turba inimica tuas.
 A quo vno optatę potui sperare salutis
 Munera, lætitiaę hic fons, & origo meę est.
 Sancte Deus, non se sanctus tibi comparet vllus,
 Iusque adeo solus nominis huius habes.
 Sint quamuis vires inuictęque robora multis,
 Nemo potest Domino fortior esse tamen.
 Parcite iactanter vanas cumulare loquelas,
 Garrulitas vestro cedat ab ore vetus.
 Nam nihil ignotum Domino; conceptęque mentis
 Cuncta videns, ea sint qualiacunque, tenet.
 Nunc robustorum vires cecidere virorum,
 Infirmi contra fortiter arma mouent.

Deliciis

Deliciis nuper saturi se pane locarunt,
 Esuriem passis copia farris adest.
 Cui sobolis fructum sterilis natura negarat,
 Nunc vteri gaudet fertilitate sui.
 Quæ se multiplici iactabat prole beatam,
 Fœtibus infelix nunc viduatâ gemit.
 Vitam adimit Dominus cui vult, vitamq; refundit
 Ad Styga deducit, rursus & inde vocat.
 Pauperiem immittit, nunc auri pondera donat:
 Sternit humi, stratos postmodo tollit humo.
 In sublime vehit vili de puluere egenum,
 Et de stercorebus surgere posse facit.
 Ut proceres inter positus loca prima capeffat,
 Et valeat summi culmen adire gradus.
 Hic quoque cardinibus terrarum præsidet, inque his
 Fundavit mundi constituitque globum.
 Sanctorum regit incessus, seruatque suorum,
 Et facit in tenebris conticuisse malos.
 Quanta vis præstet nam quis virtute, saluti
 Nemo sibi propriis viribus esse potest.
 Ille suos gelidis plectet terroribus hostes,
 Atque erit, ut super hos cœlica ab arce tonet.
 Terrarum tandem fines quæsit in omnes
 Adueniens, veri iudicis edet opus.
 Denique regna suo Regi firmabit in æuum,
 Et decus in Christum conferet omne suum.

CANTICVM FILIORVM ISRAEL.

*Cantemus Domino.**Exod. 15.*

CAntemus Domino qui per sua facta, decusque
 Sese magnificis extulit ipse modis.

Qui